

4. K. 95, 16^{d.}

X 2005204

Ya
4202

Q. D. B. V.

ILEBURGUM,

Sive

DISSERTATIO HISTORICA

De

Ileburgi Origine,

Conditore, triplicique usque ad ho-
diernum diem statu

*Inclytæ Facultatis Philosophicæ
Lipsiensis indultu*

ad diem 18. Octobr. A. O. R. 1690.

H. L. Q. C.

Placido Eruditorum Examine submitunt

PRÆSES

M. JOH. FRIDERICUS Srenkel

Ileb. Misn. S.S. Th. Stud. & Elect. Alumn.

RESPONDENS

Christianus Grundmann

G. L.



LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS GEORGI.



82





JESUS!
PROOEMIUM.

DEliberanti mihi diu multumve, ac
thema quoddam in conscribenda di-
sputatione Philosophica eligendum
circumspicienti haud intempestivè pa-
tria mea occurrebat Ileburgum, præ-
gnantibus fulcitur rationibus, quo magis pagellæ
hæce historica ejus narratione adimplerentur scitu
dignissimâ. Primum enim singulas fermè quæstio-
nes philosophicas tersas satis atque eruditis scriptis
expositas ostendebat; Mox amorem sui inculcare, re-
putans, si dulce simul ac decorum fit, pro patria mori,
quidni etiam in laudem ejus ac honorem scriptum ali-
quod divulgare; Nec hoc quidem sufficiebat, sed &
necessitatem præsentis scripti adjecit, introducendo
me in primam nationalis mei dulcissimi M. Joh. Georg.
Franckii de urnis feralibus in genere habitam disser-
tationem, quâ de iis Ileburgi nuperrimè repertis in
specie se locuturum promiserat. Si igitur, inquiens,
hic fidem suam est liberaturus, de origine mea, deque
felicitate quædam quo præmittas, non est quod sub-
dubites. Quibus prolatis jam in medium argumen-
tis incertus planè & redactus ad angustias animus an-
nuuit tandem, atque in præsentem, quantum fieri potuit,



tum ingenii imbecillitate, tum historicorum varietate memoriam dilucidavit atque recensuit. Fateor equidem plurima meris niti conjecturis; ast rejectis minus aptis, probabiliora elegimus, iisque sententiam superstruximus; quod si forsitan aliis ex autoribus sententia stabiliri poterit firmior, oppidò quam facilimè herbam eis porrigemus. Ne autem L. B. ordinis nostri sit ignarus, breviter exhibebimus. Totus concentus in quinque sua sponte abit partes. Prima complectitur onomatologiam à §. 1. ad 7. In altera & Conditor & situs recensetur à §. 8. ad 25. tertia narrat historiam Ecclesiasticam, à §. 26. ad 35. in quarta status politicus recensetur, cui mox quinta de œconomico adjicitur. Ante omnia autem exorandum erit numen, ut concedendo vires nostris benignè insit laboribus.

§. I.

EPaminondæ illud mihi nunquam non dictum credidi: Charitas patriæ orbis terrarum divitiis anteponenda; nullam quippe occasionem, è quâ splendoris quippiam ei possit accedere, prætermittendam putavi; Et quanquam tantò me amore eandem amplexum fuisse gloriari minimè valeam, ut vel cicatrices ostendere, vel vulnera prædicare, vel prælia commemorare possim, nullo tamen modo inter *ῥιψασπίσας* numerari passus sum. Quo itaque animum saltem meum in natale solum proderem, de origine, conditore variisque statibus jam dicam. Quia verò multis lucis ac censura ipsi videtur nomenclatura, imò logicorum leges id omnium maximè postulant, eandem & hoc loco exequi fortasse non erit alienum.

§. II.

In ipso statim limine prænotandum est, & arcem extra oppidum, in excelsò monte structam, & oppidum, (priscis temporibus Comitatum) eòdem gaudere nomine, nec urbem aliter, nec arcem
aliter

85
aliter appellari, quamvis quibusdam, uti §. VI. dabimus, ita distin-
guere placuit.

§. III.

Variæ autem vocis hujus scriptiones se nobis offerunt, (1.) Albinus Chron. Misn. pag. 434. scribit: *Zulburg: Zulburg ist eine Burgward gewesen / darunter ein neu Feld oder Dorff Bucowitz gelegen / über welches Bischoff Gerung zu Meissen ein Diploma gegeben / im Jahr 1160. und ist ohne Zweifel Eilenburg oder Zlenburg.* cui assentiuntur Joh. Bange Chron. Thuring. pag. 11. id ipsum *Zulienburg / Georg. Grotsch. lib. de Sal. edit. 1594. lit. C. 8. Julio-burgum,* Casp. Peucer Chron. lib. 5. pag. 738. *Arcem Juliam* nuncupantes, ut ita nomen à *Julio Casare* primo Rom. Imperatore deducant, vel uti Pomarius in Chron. Sax. 1589. ed. Magd à *Jove*, ut quasi *Jovisburg* dictum videatur. Verum hanc sententiam dabimus infra refutatam, ubi de conditore hujus differemus prolixius, demonstraturi jura Civitatis ab Henrico anno 930. impetrasse, & ita dicti Episcopi Gerungs tempore non amplius pagum fuisse. (2.) *Hilburg* audit Ditmaro teste Albino l. c. fontem vocis ab *Hildâ Friderici, Diterici primi filii, filia* derivanti; sed nec deductio firmô stat talô, cum dictus Fridericus anno 982. comitatum Ileburgicum obtinuerit juxta Albinum, ante ipsum verò Dynastæ Ileburgenses fuerint, *Hildâ* nondum natâ. (3.) *Ilburg* ab *Ilbâ* duce Rom. nomen trahere Garzo cum aliis affirmat, quod tamen ipse Albinus refutat, l. c. pag. 49. & 50. (4.) *Ilingburg & Ilingsburg* aliis nominare placet, evolvatur Alb. l. c. sumptâ radice ab *Ilingis* populis Suevorum, quæ sententia adeò absurda non videtur; uti mox §. 4. patebit. (5.) Nec desunt, quibus arridet *Eulenburg* / ab *ululâ* sumere denominationem, quæ sententia tamen adeò absurda seipsam refutat, cum *ululæ* tantâ frequentia hîc non reperiantur, ut ab iis nomen accipere potuissent. (6.) Optima omnium sententia est eorum, qui *Zlenburg / hodie Eilenburg* lat. *Ileburgum* à *festinando* deducunt; quorum etiam spectat emblemata in Atrio Gigantum Elect. Saxon. Arcis, *ubi Vir Sacer montis pedi assidens nimium properantem vectorem admonet, lentè quo vebat, alias non perventurum ipsum festinando in urbem, qui tamen neglectis monitis, subvertens currum fregit axem oppidô exclusus* addita hac inscriptione

FESTINA LENTE vid. Beutel. in Cedret. Sax. Huc etiam referendi sunt, qui per τὸ γ. *Ylen oder Eyllenburg* scribere solent, apud Wecken in Chron. accuratius tamen τὸ ι, *quam* γ. adhibetur.

§. IV.

Disceptatur jam, quænam sit derivationis ratio, & alii aliam exhibere flagitant; Dresserus in Isagog. Hist. part 5. de urb. Germ. pag. 342. cui adjungendi duumviri Zeillerus in Itin. Germ. pag. 624. & Sauerus *im Buch von Städten* pag. 430. hanc fovet sententiam *urbem nostram à celeritate dictam ideò esse, quia subito in casu necessitatis extructa fuerit*, memorat insimul proverbium: *Non est Ilebergius, sed Senfftenbergius.* Alii argumentum ab *Ilnigis* sumunt, quippe *à festinando Ilende oder Eilende* nuncupantur test. Alb. l. c. & Spang. *Sächs. Chron.* cap. 13. fol. 18. eamque ob rationem: *Weil sie hurtig und behende zum Angriff gewesen:* sunt verba ejusdem. Nuper admodum Vir & eruditione præclarus & de Ecclesia orthodoxa benè meritus aliam in finem fundebat derivationis causam. Nimirum non ultra tria ab urbe stadia abest pagus, Ileburgensi parens Superintendenti, *Rilschau* dictus, ab hoc pagus callis jam ex planitie editus patet, quo vectores currus agunt; Antequam verò erigeretur, per eandem planitiem udam & cœno lubricam iter facere tenebantur, in quâ superandâ pressa curru jumenta integrum diem absument, priusquam ab hoc pagus ad arcem usque penetrarent; Accedentes itaque huc invicem sese adhortabantur, his verbis: *Eile/Burgk / i. e. eile/ daß du zur Burgk noch heute kömmt.* Cuicumque accedere cupis sententiæ, quas inter tamen ab *Ilnigis* prolata nobis perplacet, perinde erit, sufficit exposuisse nos, omnes in eo convenire, *à festinatione* defluere nomen, *Ileburgum.*

§. V.

Præterea & hoc monendum, alteram, *Ileburgum*, partem compositionis (compositum esse nemo non videt) per *Berg* partim, *à monte edito*, uti Beutelius in *Cimel. Georg.* pag. 163. seqq. partim per *Burg* ab *Arce*, in eodem montis cacumine positâ, efferri; verum non *à monte* sed *arce* derivari antiquissima scripta testantur.

§. VI.

In aliquoties citatis *Chronicis Albinus* tit. 4. pag. 50. *Synonymum*

87

num nostri Ileburgi addit Müldenau / imò distinctionem videtur
adhibere inter arcem, cui nomen Eilenburg / & urbem, cui Müldenau
assignat, hinc assecla ejus Peckenstein theat. Sax. pag. 3. cap. 12.
fol. 67. idem sentit, nomine vel à populis Vandalorum Miltinis,
quod vix locum invenit, vel à fluvio, urbem alluente, Mulda, quod
aptius est, ascito. Ast etsi quoad vocis originem concederemus
posse sic inscribi, nulla tamen vestigia hujus tituli reperire licet in
antiquitate corrasis & vetustate fermè absumptis monumentis. Nul-
lus autem abnuerem, si quis crederet, terram circum circa jacentem
hoc vocabulo insignitam esse, quippe solum ejus pratorum amoëni-
tate fertilitate agrorum undiquaque collucet.

§. VII.

Cavendum autem hoc loco nobis est, ne confundamus *Ileburgum*
nostrum cum Eulenbergo, in Moravia à Silesia finibus adjecto, anno 1643.
à Suecorum duce Torstensohnio expugnato, de quo Alstedius Chron.
pag. 685. sequentia facit verba: Capitur Eulenbergum cum millio-
ne auri, quam gazam Torstensohnius 40. curribus vexit: vid. in super
Tab. Geogr. Sigism. à Bircken in fluv. Dan. & Piscat. Germ. *quan-*
quam & u. in primâ & e. in ultimâ Syllabâ omnem confusionis ansam
præoccupent. Neque hic intellectum volumus *Ilinburgum Mech-*
lenburgicum cujus mentionem faciunt Chron. Slav. Arnoldi p. 202.
Notabilis & adhuc observandus error in Saueri *Buch von Städ-*
ten pag. 430. & 889. *Ilenburg & Eilenburg* pro distinctis qui ven-
ditat oppidis.

§. VIII.

His non absque utilitate annotatis, ad rem ipsam nos accingi-
mus, ab ipso oppidi conditore exorsuri; Nec diffitendum, tot ferme
dari sensus & opiniones, quot Scriptorum capita. M. Joh. Poma-
rius in Chron. Sax. fol. 5. sub titulo: *Von Erbauung der 7. Burg-*
fen / so durch Cæsar Julium in die Ehre der 7. Planeten geschehen
seyen; JULIUM nobis exhibere satagit sequentibus: Der Kaysar
Julius bezwang diese Land / Germaniam nemlich / und brachte sie
zum Römischen Glauben / an ihre Abgötter / und bauete 7. Burg-
fen / in die Ehre der 7. Planeten; Erstlich bauete er eine auf / auf ei-
nen Berg / den Mars, Marsburg. In Sachsen das Hauß Vene-
ris, Venus, Magdeburg / er bauete auch / Sol, Goldwedel / er fand im
Mon-

Mondenschein einen Berg / und bauete darauff *Luna*, Eüneburg. Er bauete auch eine Burg dem höchsten Gott *Jupiter*, und nennete sie *Zlenburg*. Er bauete auch eine Stadt die hieß er *Juliam*, und setzte darauff den Gott *Mercurius*. Huic non absimilis est Bange Chron. Thur. pag. 11. a. sic scribens: Also bauete er / nemlich Julius Cæsar, auf die Weißner und Osterlande die *Julien Burg* / die nun heißet *Eilenburg* / und bey *Nich Julich* / diese zwey nennete er nach seinen Nahmen.

§. IX.

Ilbam Comitum quidam huc referunt, ipsum Julii Cæsaris tempore militasse asserentes, uti videre est apud Johan. Garzo de gest. Frid. I. lib. 1. & in Chron. D. Wolffg. Jobsten anno 1567. edit. Sauerum *Buch von Städten* pag. 889. quibus non contrariantur *Stella & Protuff*, *arcem ante Christum natum extructam* asserentes.

§. X.

Verum quamvis originem tam antiquitate quam conditore insignem haud invideremus patriæ, contraria tamen sententia veritati magis consentanea ab hac opinione recedere jubet, quippe primam de Julio solidissime evertit Cranzius lib. 1. Sax. cap. 25. ubi alias inter rationes ad ipsius Cæsaris testimonium provocat, verba merentur adjici: *Nec unquam stetit Cæsar inde in Germania, ut imperium ibi gerens acer fundaret, sed bis tantum facto ponte Rhenum ex Gallis transiit in Germaniam cum exercitu, testis est ipse Cæsar, qui res à se gestas in Castris conscripsit, extant commentarii ejus. Vix congressus hostibus, cum illi fugerent in sylvas, reduxit exercitum, qui ista requiris in quarto & sexto Commentariorum Cæsaris libris reperies, nihil proinde opus est verba ipsius Cæsaris introducere, quoniam passim commentarii ejus ubique leguntur; hactenus Cranzius. Alteram de Ilba opinionem explosam exhibet Albinus tit. 14. pag. 180. lin. ult. quibus & hæc adjicimus, quod sententiæ hujus patroni nec de nomine, vel Ilba, Ilbo, vel Ilo, vocatō, nec de persona inter se conveniant, cum alii Cæsaris alii Germanorum ducem ipsum appellitent, imò multa in Brotuffii Scriptis falsa & ficta doceat Albinus l. c.*

§. XI.

Rejectis hisce opinionibus in Chron. Misn. (Autore ignoto) sententia nobis occurrit ex antiquitate nimia nimiam in novitatem saltum

89

salutem faciens his verbis. Friedrich ein Bruder Dedonis erbaute
ete mit Hülffe Otten seiner Schwester Sohn/ und mit Hülffe sei-
nes Bettern Dietrichs die Stadt und Schloß Eilenburg. Er
hatte nicht Söhne/ sondern Töchter/ darmit gab er seinem Better
Dietrich die Stadt und Schloß Eilenburg / und starb daselbst.
Cui adjiciendus Christ. Bertholt in der kleinen Rähf. Chron. Hæc
si ita sese haberent, undecimo post natum Christum seculo extractam
esse urbem sequeretur, siquidem anno supra millesimum decimo se-
ptimo mortuum hunc affirmant Fabricius Orig. Sax. pag. 359. & Dit-
marus. Ast nec hoc approbandum, siquidem Reufnerus in Stem-
mate Witt. pag. 12. Witikindum M. Ileburgi Dynastam salutat, qui
tamen teste Albino aliisve, dicto Friderico duobus seculis antè re-
gnavit. Conjectura si quid valet, hæc fortasse ratione adducti sunt
in hanc ire sententiam, quod imperante hoc Friderico, multis exorna-
ta fuerit urbs ædificiis.

§. XII.

Quia sermo hoc loco de Friderico nobis fuit, non injucunda
inspergenda venit historiola de sorore ejus Hidda. Hæc in arce Ile-
burgensi regnans in coelibatu ad ultimum vitæ terminum permansit,
tantoque profecuta est odio lasciviam viduarum nuptias repeten-
tium, ut legem ferret: Si qua ex viduis, reiteratis nuptiis, viro denuo
nuberet, sive in oppido sive extra illud, ea Arcis Præfecto septem gros-
fos in sacculo non confuto (zwen Schreckenberger in einem Beu-
tel ohne Naht) inclusos teneatur transmittere, quæ lex adhuc hodie
sarta tecta que servatur. vid. Archiv.

§. XIII.

Mediam nos ingressuri viam ab hæc sententia non abhorre-
mus, quæ *Ilingos* singularem Suevorum Gentem primos conditores
constituit: Alb. tit. 4. fol. 49. & 50. Spangenberg. Sax. Chron. cap. 3.
aliique: Veritati enim magis accedit, urbes germanicis insignitas ti-
tulis à Germanis etiam conditas, idque eo potius, cum & hi ipsi à festi-
nando suum traxerint nomen vid. §. 4.

§. XIV.

Supervacaneum foret, si his pagellarum angustiis modo dictorum
Ilingorum ortum includere tentaremus, cum Ptolomæus labore hoc
jam pridem in se suscepto, otia nobis hæc dederit, quo avidum lecto-

90
rem remissum volumus. Et quamvis historicorum quidam arctius
Ptolomæi prementes vestigia cum Dressero Isag. hist. part. 5. p. 342. ad
Elystrum & Albim flumina ipsos collocent, parum certè obstat; Nam
ut nihil dicam, dari etiam contrariæ opinionis defensores ad Mul-
dam eos ponentes, nemini tamen Geographorum non patebit, Al-
bim Torgam præterlabentem, Elystrumque non procul abhinc ab-
forbentem non ultra tria milliaria ab Ileburgo nostro distare, ut ita
nullo negotio trajecto albi ad Muldam desedere, nostrumque ædifi-
care valuerint oppidum. Scrutari tantum licebit, quo seculo, quo-
ve seculi anno opus absolverint? Planè omnis hîc hæret aqua, cum
ne ullum quidem in scriptis de anno extet monumentum; non ta-
men adeò inconueniens fore putamus affirmare, illos, ubi maximo
constituti fuerint in flore, operis hujus cœpisse primordia.

§. XV.

In urbe moeniis exornandâ Ottonem Misniæ Marchionem
currente seculo duodecimo, multum pecuniæ absumsisse testantur
Chron. Misn. anno 1552. edit. pag. 7. verbis sequentibus: *In denen
Zeiten wurde der Fürst Otto groß geacht/ von Bergwercke/ das zu
Oberlausitz/ daraus er eine Stadt gemacht/ genant Freyberg/ und
befestiget die 3. Städte/ Eilenburg/ Leipzig und Freyberg mit guten
Mauern.* Et licet pro Ileburgo Isenburgum legant plurimi histori-
ei, v. g. Brotuff. Chron. Anhal. lib. 2. cap. 8. Fabric. Orig. Sax. lib. 5.
fol. 156. Rensner. Stemm. Witt. fol. 31. Albinus l. c. tit. 15. fol. 203.
Zach. Schneider Chron. Lips. pag. 87. nec non alii; Sigfridi tamen
Annales nobis patrocinant non tantum tres, sed plures, quas inter
& nostrum Ileburgum operibus munitas annunciant; Præter quos
muros duplici etiam fossa aquis refertâ cingitur.

§. XVI.

Exhibitô jam qualitercunque primò conditore, de situ quædam
fari necessum est. Accuratissimorum hic dissentientium inter se
judicia animadvertet Philohistoricus. Quo verò res penitus incla-
rescat, *partim de Misniæ generaliter sumptæ divisione, partim de Mul-
da non nulla dicenda veniunt.*

§. XVII.

Commemorat Albinus in libro sæpius allegato tit. 15. pag. 179.
seqq. totam Misniam in quatuor divisam olim fuisse partes, primam
Mis-

Misniam specialiter; secundam Ofitiam; terram orientalem five Libonotriam; tertiam ditionem Pleisnensem; quartam deniq; Suedes denunciat. Ad primam refert mesopotamiam Muldâ & Albi inclusam; Ofitiæ tribuit omnes mediam inter Muldam & Salam inclentes. Terram Pleissenam vocat, interjacentem Pleissam & Salam. Sudetum terminos à Vogdlandia ad Bohemicos usque fines extendi asserit, plura de his autor citatus.

§. XVIII.

Muldæ notitia ex eodem Albino petenda est; Duplici vena suas adauget aquas. Prima ex summo Bohemiæ montis cacumine excurrentis libero aquarum meatu Freibergam, Nossam, Dœbelam, Leisnigiam, præterfluit, lentoque cursu ad Colditium se devolvens alterius fontis influxum recipiendum quasi expectat, & hæc Freybergensis audit. Altera vena, cui Schneebergensi nomen, ex iisdem Bohemorum montibus promanans, in subjectam petram quodam aquarum strepitu cadit, vallem inde Schneebergæ, & mœnia Cygneæ, Colditii & Rochlitii alluit, ubi commixtæ inter se uno meatu iter suum percurrunt, donec ad urbem Dessaviam in Albim evadant; ripæ suæ interea Grimmâ, Drebsâ, Wurzaviâ, Pichaviâ, Ileburgô, Grunaviâ aliisque adjacentibus.

§. XIX.

Quæritur itaque cuiusnam harum modo recensitarum partium nostrum adscribendum sit Ileburgum, vel Misniæ specialiter dictæ, vel Ofitiæ s. terræ Orientali, cum reliquis nobis nihil erit negotii. Prænotandum ante omnia, oppidum nostrum Muldæ adjectum esse, nec ullus hodie negabit, quanquam fictitia Althammeri sententia ad Albim illud ponere laboret, ob absurditatem tamen haud invenit locum. vid. Comment ejus in Tacit. Germ. pag. 290. anno 1576. Ad Muldam quod attinet, ne minimus quidem residet scrupulus, five enim Freybergensis five Schneebergensis intelligatur, nihil omnino interest, quippe uti in præcedenti §. 18. ostensum fuit, utrumque flumen conjunctim nostram attingit urbem. Beutelius vir aliàs in Mathesi non mediocriter versatus in suo Cym. Geogr. pag. 163. in eam inclinât sententiam, nostrum quæ Ileburgum Misniæ specialiter dictæ assignat, huic pollicem premit Sauer. im Buch von Städten/p. 430. sic inquit: Es lieget diese Stadt in Meissen / oder nach etlicher Meinung in Osterland an der Mulda; nec Zeillerus dissentit. in

Itin. German. nisi dicere velis, hunc non attendere discrimen. E. contra Albinus Chron. Misn. tit. 14. pag. 182. Fabr. Orig Sax. p. 673. Reufner. in Stemm. Witt. pag. 31. aliique complures Osteritiæ attribuunt; dicis; quænam Autorum horum diffensionis causa? Non levis fanè, siquidem muros urbis ambit Mulda, in altero latere naturali, in altero arte deducto cursu adeò, ut insulam visentibus procul repræsentet, cum tamen Muldæ flumen omnem dirimat litem.

§. XX.

Hic profectò & meipsum hæsitasse fateor, cuinam subscribam sententiæ; quapropter ad indagandam rei veritatem lares patrios repetens naturam hujus, parente duce, perlustravi omnem. Egressis namque per sedecim fermè haud longe à duobus pagis **Grvitzsch** & **Collâ** omnis nobis exempta est dubitatio. Flumen ibi in duos meatus, objecto aggere, vulgò **der Boberßdam** dictò, divisum deprehendimus; alter naturali quadam pronitate, terrâ veluti depressa, portam adit Torgaviensem; alter adversus naturam in peculiari fossa à molis sic nuncupata (**der Mühlgraben**) ad Lipsiensem, monte imminente, pertingit; ne verò solo depresso iterum fossa excurrant undæ, duplex objectus est agger, alter in medio (**der Mittelßdam**) alter à cuprò sive molâ cuprea antea hîc extractâ, (**der Kupperdam**) nomen habet; quâ in fossa, ingentis pecuniæ sumptibus ad insignem molarum usum effossa, undæ, motitatis suo cursu ad id destinatò rotis, serpentino flexu promanantes à naturâ sibi imperatum pensum absolvunt, postea ab altero versus portam Torgaviensem excipiuntur alveo, cum quo ceu Corona totam cingunt urbem.

§. XXI.

Ex quibus cuivis facilè constat, oppidum, terra inter Albim & Muldam positâ, interfluente hoc flumine, exclusum, in solo Salam & Muldam interjacente deprehendi, & sic non ad Misniam, uti Beuteilius & affeclæ ejus volunt, sed rectius Ositiam pertinere. Obiter id notandum, Albinum loc. cit. Muldam Ileburgensem Mildam falsò appellare, id quod accuratiores nequaquam concedunt, quamvis à plebe, & præsertim fœminis in pronunciando delictioribus per i. imò ii potius quam u. efferri soleat.

§. XXII.

Quod si cuidam situm oppidi quoad longitudinem & latitudinem

93

nem geographice emensurare volupè est, 51. gr. 26. m. latitudinis, & 35. gr. 21. m. longitudinis, posito primo meridiano in aliqua cum Beutelio ex septem Insulis Canariæ, Pico Teneriffa vocatâ globus ostendet. Insuper & Ileburgum tribus Germanicis Milliaribus partim majoribus, partim minoribus, Torgâ versus ortum, Grimmâ meridiem versus, Lipsiâ ad occasum, Delitschium versus septentrionem distare declarabit.

§. XXIII.

Hocce nostrum Ileburgum arce exterius eleganti structa, antiquitate tamen & hostium immanitate, proh dolor! ferè dirutâ, muris uti supra audivimus, circumdatur, suburbio ampliori adhærente; Interius 329. numerantur ædificia satis splendidè exculta, schola sacerdotumque habitaculis exceptis, quippe tantum sibi conciliarunt ornamenti, ut nulla jam supersit domus, quæ latere coctili non sit tecta, & grandævi enarrant, se à patribus accepisse circa finem præterlapse seculi currentisque initium nullas extitisse ædes, quibus superiora fuerint imposita. Ex suburbio, qua vergit ad occasum unum & viginti ædificia urbi adhuc adscribuntur, reliquis magistratui in Arce imperanti, uti inferius, subjectis. De templo, nec non de reliquis ædibus sacris Historia Ecclesiastica erit occupata.

§. XXIV.

Adventanti quatuor patent aditus ad mundi plagas spectantes tres majores quarta minor. Porta quæ ad solem orientem versa est, dicitur Torgaviensis, altera ad occasum tendens Lipsiensis; ad meridiem quæ pertinet, à novitate vel ab egrediuntibus bobus nomen adeptæ est, (*Das Neue oder Rühthor*) Minori denique sub septentrionibus positæ à balneatoribus (*die Bader Pforte*) denominatio indita est.

§. XXV.

Turrim templo inhærentem ascendenti non injucundè *navis formam* exhibet oppidum, eadem turri malum repræsentante, quippe in longitudinem tota urbs procumbit; Portam exinde Lipsiensem accedentium oculis ex opposito in linea recta per Lipsiensem & Torgaviensem plateas, quas dividit forum, flexis Torgaviensis objicitur porta.

§. XXVI.

Atque sic & ortum & situm, quæque huc spectant, in conspectum

92

Actum dedimus, nec ulterioribus verborum ambagibus commorati triplicem statum percurreremus, incongruum minimè existimantes, si nova de sacris faciamus initia.

§. XXVII.

Larga hinc sese offerret de *Gentilismo* dicendi seges, quo in ob-
cœcati oppidi incolæ obambularunt. At verò actum ne agamus,
lectori studioso Albinus Chronica Misn. lib. 6. 7. & 8. commen-
dare volumus, ex professo de eo differentis. Historiæ amantem ex
modo allegati, Alb. scriptis aliisque historicis vix fugiet, Evangelium
Apostolorum tempore in Germania nostraque Misnia largiter spar-
sum incolarum tamen culpa iterum rejectum & in superstitionum
gentilium idololatriam degenerasse, qui Albinus & Witekindum M.
antequam ad Christianam religionem sub Carolo M. anno 783. cujus
susceptoris munus ipse in se suscepit Carolus, conversus fuerit, acer-
rimè Christianos persecutum fuisse, meminit. Verum nec ab hoc
tempore inquilinos nostros, quamvis Witekindus Dynastæ Ileburgi
titulum gessit, Christianorum doctrinam amplexos fuisse perhibe-
tur, quoniam ex Ditmari Episcopi Martisb. nec non Witekindi & Al-
bini Chronicis satis liquet, Henricum Aucupem verbum divinum
mirum in modum in solo Misniaco ferro propagasse, quin imò Van-
dalos, quorum mentes gentili superstitione non intactas cognoverat,
in Metropoli eorum Gronâ non procul à nostra urbe sitâ, quam falso
pro Grimmâ venditat Schneiderus Chron. Lips. pag. 56. aggressos,
captâ urbe, muris dirutis, cæsisque natu majoribus, ad Christianorum
castra sequenda compulit, urbe in pagi formam redacta, ideò nec op-
pidum nostrum ab hoc errore liberare possumus, dum hinc inde ultra
octo imò vix quatuor stadia circumjacentium pagorum nomina ab
ipsis Vandalis imposta nostro adhuc tempore reperiuntur, e. g. *Kil-
schau/ Dalwitz/* & hujus generis alia innumera, quorum vocabulo-
rum finem Vandalismum olere, colligere licet ex Albino loc. cit.

§. XXIX.

Ab hoc, Henrici nimirum, tempore, sana doctrina diffeminata
pedetentim & transplantata, donec circa seculi decimi finem & un-
decimi primordia Fridericus primus, cujus supra in extractione oppi-
di mentionem injecimus, tria Sacella constituere exorsus fuit, uno in
oppido S. S. Nicolao & Andreae anno 1007. reliquis extra urbem al-
tero

tero prope Arcem, Mariæ, altero versus ortum in sepulcris Georgio
dicatis. Quibus in erigendis adornandisque plurimum æris contulit
Otto 3. Friderici consanguineus.

§. XXIX.

Non ita multò post anno 1015. secundo ante mortem suam i-
dem conditor ædem hancce Canonicatui subjecit Misenenfi, juxta
Fabr. Orig. Sax. lib. 2. fol. 297. sed hoc vix ultra ducentos durasse
annos fatentur antiqua Chronica Mis. à Reineccio renovata. Nam
Conradus M. eandem ædem, testibus Sigfrid. annalibus, quæ ad o-
deum usque saltim sese extendit, longè lateque ampliata, anno 1195.
Deinceps Monasterio S. Petri Montis (Dem Kloster zum Peters-
Berge) juris fecit, quod in hunc usque diem durat, siquidem præfe-
ctus dicti monasterii quotannis festo trium regum Ileburgum visi-
tans censum propterea solvendum à quibusdam civibus exigit.

§. XXX.

Quamvis autem lux Evangelica per indicatos aliosque impe-
ratores, Marchiones & Comites accensa fuerit, paulatim tamen spif-
sis pontificiorum tenebris cœpit obfusari; De monachis S. Anto-
nio adhærentibus refert Beccenstein part. 3. fol. 169., cujus vestigiis
insistunt Acta Ecclesiastica Ileburgi ipsos sancta quadam fallacia cir-
cumduxisse laicos, fabricantes statuam argenteam, Mariæ effigiem
imitantem, quâ in excavatâ latentes monachi adventantes adorato-
res donis onustos vel lacrymas fictè emittendo, vel ridendo vel ab-
vel annuendo ceu animi aut benevolentis aut alienati indicibus, de-
lusere. Verum & hæc tandem detecta fraus fuit.

§. XXXI.

Reformatione siquidem à B. Megalandro Luthero anno 1517.
inchoatâ, Deus etiam patriam benignis aspexit oculis, discussaque te-
nebrarum nube, radios Evangelii & huc immisit. Occasionem præ-
buit D. Schmiedeberg / qui veritate Lutheri cognita per epistolam
ab eo petiit, ad se Ileburgum ut veniret. Sacris obrutus negotiis
Lutherus petito huic satisfacere adeò non potuit. Quapropter no-
minatus Schmiedeberg nescio quo morbo in lectum projectus cum
finem instare probè sentiret, per testamentum 100. florenos Luthero
legavit, & paulò post placidè exspiravit anno 1520. vid. Luth. Epist.
tom. 2. pag. 7. a. b. Altero abhinc anno instinctu Electoris Ilebur-
gum

96
gum nostrum ingressus Martinus, comite Philippo, cum intimo quodam Consiliario Fabio à Feilitsch de statu Ecclesiæ reformandæ instituit colloquium. Quod cum suboleret Monachis, concitata ab ipsis multitudo pastoris habitaculum irruit, successu tamen parum secundo; Præfectus enim urbis Nicolaus **Voigt** adjunctis sibi militibus impetu irruentium represso, Monachos postea urbe ejecit omnes.

§. XXXII.

His peractis sequenti anno 1522. suasu Lutheri Magdeburgi ab Alberto Cardinali suo officio remotus M. Andreas **Kauxdorff** à Senatu vocatus est Superintendens, cui postea decem ordine, quorum imagines affingendas curarunt in templo, successere. Idem Simulacro Mariæ in forum publice deportato Monachorum lusus aperuit.

§. XXXIII.

Prospero tali successu verbum divinum à traditionum humanarum purgamentis repurgatum usque ad Imperium Christiani primi Electoris purum fuit prædicatum. Attamen, proh dolor! Crypto-Calvinistæ Crellii insultus id ipsum suppressere tentarunt, adeò ut quartus à Kauxdorffio Superintendens M. Caspar **Starcke** animo constanti puram confessus religionem falsæque subscribere recusans anno 1591. die 24. Augusti de sede turbatus sit, quo die exilium subiens in campo patenti sub dio juxta vineas nostras valedictoriam habuit orationem, numerosa certè auditorum frequentia adstante.

§. XXXIV.

Puritas verbi hac ratione contaminanda videbatur, interim tamen, casu quodam interveniente, idem **Starcke** die 14. Novembris ejusdem anni revocatus, primùm pro suggestu iterum dixit, utriusque concionis copiam paratam penes me invenire licet. Et sic ei tandem, quo hodierno adhuc, faxit Deus diutius! die floret, statui restituta est res Ecclesiastica.

§. XXXV.

In urbe Superintendens, quem dominum agnoscit pagus **Rilshau** cum duobus Diaconis, in Arce Pastor cum Diacono aluntur, Viri, quibus hodiè nostra superbit patria, tam eruditione præcellentes, quam de Ecclesia optimè meriti. Subsunt præterea Superintenden-

97

dentis inspectioni Pastores pagani cum recitatis Diaconis numero 32. Sicco pede nec hoc transeundum, sub Vigilantissimi hujus superintendentis Dn. D. Kunadi tutela ultra 24. in longitudine ædiculam sepulcrorum anno 1682. Confule Andrea, extendi inchoatam 1684. penitus absolutam fuisse, jacto ab hisce duumviris primo structuræ lapide; Ulterius & eodem tempore templum oppidanum renovatum variisque coloribus depictum fuit, novo altari dein à Viro pietatis studio addicto Dn. Ludovico, ad reipublicæ qui sedet clavum, haud parvis sumptibus erecto. Cura juventutis informandæ demandatur quatuor præceptoribus, Rectori, Conrectori, Cantori & quarto, quorum ædificia anno 1514. fuerunt condita.

§. XXXVI.

Haftenus de rebus Ecclesiæ, jam ad Magistratum politicum nostra sese deflectit dissertatio. Nullus autem sibi persuasum habeat, me sermonem de superiori Magist. facturum, aut comites hujus comitatûs recensiturum, quorum genealogia adeò ampla, ut vasta variorum historicorum adimpleat volumina; Forsan si Deus T. O. M. vitam viresque concesserit, in peculiari quadam Disputatione de his oppidique & in- & decrementis fusius sumus dicturi.

§. XXXVII.

Ditmarus supra allegatus Henricum Aucupem anno 930. jura Civitatis Ileburgo concessisse perhibet, ideò nullo modo largiri possumus, tempore Episcopi Gerungii Pagum Bucowiz adhuc extitisse, cum duo integra ab Henrico elapsa fuerint secula, prius quam edictum à dicto Gerungio fuit publicatum. vid. §. 3.

§. XXXVIII.

Anno 1455. à Friderico Placido Electore jura forensia (sive jurisdictionem) mille & quingentis florenis Ileburgum sibi comparasse testantur Archiva, quæ insimul affirmant, oppidanum Magistratum, (non uno regi Magistratu Ileburgum videre licebit ex sequentibus) pagum **Pataune** suam in ditionem multâ pecuniæ summa redegisse.

§. XXXIX.

Duplici Ileburgum à Magistratu gubernatur, alio in arce, alio in urbe constituto; In oppido variis personis imperandi clavus committitur, mutatis quotannis vicibus. Coimperantes singulis

C

annis

98
annis sex numerantur : (a) Consul. (b) Judex. (c) Camerarius. (d) Ædilis. (e) Villicus. (der Forbergs Herr) (f) Oenopola. Ubi obiter sciendum jus vendendi vinum soli competere Magistratui, exceptis civibus, proprias qui possident urbi adjectas vineas, quarum tamen numerus ultra septem vix extenditur.

§. XL.

Medio in oppido curia conspicitur eleganter extracta coloribusque variis depicta; quam anno 1521. prima vice, Mauritio Lehmanno Confule, & Kuhnio iudice, erectam, mox anno 1535. incendiis absumptam à fundamento restaurarunt, id quod colligere licebit ex Arch. alleg.

§. XLI.

Insignia qui nosse avet, adeat Albinum Chron. Misn. loc. cit. & Dresserum Isagog. histor. pag. 340. ubi Leo in campo luteo in superiori, in inferiori vero parte, (campus enim in medio secatus exhibetur) tres stellæ in Campo Cœruleo exprimuntur, quod insigne Comites hîc habitantes ac imperantes gestare soliti sunt. Oppidanus autem Magistratus peculiari gaudet, in quo Campus Cœruleo colore tinctus tres stellæ, turres binas, unâ cum porta exhibet. In explicandis his diutius commorari vix locus datur, interim lectori Disp. Vogeliam de Insignibus Lipsiensibus inspiciendam tradimus, ubi plura.

§. XLII.

Nullis oppidum in territorio Electorali celebrandis excluditur comitiis, five enim universalia (Land-Tage) five notabilium (Auschuß-Tage) celebrentur comitia ad utraque vocatur, hinc anno 1628. quatuor Philosophiæ Magistri deputati eadem visiterunt, ut recte tunc quadravit illud Platonis: Tunc fore respublicas beatas, cum aut Philosophi imperent, aut imperantes philosophentur.

§. XLIII.

Et quia, ut jam annotatum, Ileburgum oppidani Magistratus imperio haud submittit se omne, ideò extra urbem in Arce constitutus præfectus, Vir hoc tempore non minus prudentia quam justitia amplissimus, Dominus Augustus Köppe / Patronus devenerandus, Magistratum gerit, cujus suburbani aliique accolæ pagani quam plurimi mandata exequuntur, quare & hic quoque cives quidam
oppi-

99
oppidani spectant, qui ob fundos in ejus territorio sitos tributum ei-
dem persolvere tenentur.

§. XLIV.

Diversi autem in urbe reperiuntur generis cives, quorum alte-
ri καὶ ἐξοχλῶ cives, alteri cum additamento (Pfal. Bürger) vulgo
audiunt. Hi extra munimenta degentes pro impetranda civitate
Magistratui tres imperiales numerant, quæ tamen non hæreditaria
est; Illi oppidani, adjectis quibusdam suburbanis civitatem, aut hæ-
reditariam, majori indispiscuntur pretio.

§. XLV.

Nunc ad Domesticum paucis attingendum statum pedem pro-
ferimus. Saporis non adeò ingrati nec infalubris temperamenti
cerevisia ex lupulo & polentâ cocta, hinc inde in longè remotas ur-
bes exportatur, cujus etiam mentionem facit Zeillerus pag. 624.
præ reliquis tamen Lipsienses sui emptores invenit; & ne aliunde
lupulum petere necesse habeant, large ibidem ac benigne è terra pro-
venit, nec citra admirationem stipiti sese cursu erratico alligat, cujus
agri plus quam trecenti recensentur. Æstivo tempore eadem ce-
revisia, ut ne fortassis nimio caloris æstu corrumpatur, cellis mon-
tanis extra portam versus occasum elaboratis demandatur, quarum
haud exiguus recensetur numerus, ubi cives lassatas vires haustu pro-
fundo refrigerare ac recreare solent.

§. XLVI.

Verùm Cives his ex cerevisia collectis nummis haud sanè ac-
quiescunt, sed alii agris colendis, alii faginandis bobus alii aliis opifi-
cibus exercendis omnem navant operam, quos inter & eruditos per
multos numerare non erubescō.

§. XLVII.

Ingens molarum strepitus prætereuntium aures defatigat, nec
numerus infrequens est; ad fossam enim supra descriptam quatuor
frumentariæ, duæ in qua asseres secantur, unà cum Olearia fullonis-
que officina positæ conspiciuntur. Præterea dulcedo aquarum
(vulgariter das Röhr. Wasser) ad montis per octo stadiorum ab
urbe excursionem remoti excurrentium & mediantibus canalibus
in oppidum sese insinuantium hic quoque memorari postulat, dum
vel cum saccharo gustu certet.

Subsistere hic quidem liceret, interim non absurdum speramus fore, si de urnis prope oppidum nostrum magna copia repertis paululum differamus. Per viginti hactenus annos ultra duodecim ferme stadia procul ab urbe exæstuans Muldæ amnis ampliando ripas urnas memorandas detexit, figura inæquales, alias vel oblongas, alias rotundas, alias denique pro diversa cinerum quantitate capaciores vel angustiores, materia omnes fictili. vid. supra citata Disput. M. Franck. de Urn. Feral. De his igitur quæstio movetur, quinam eas dicto in agro abscondiderint; nec sanè una circumfertur sententia, dum nulla plane advertere licet signa, ex quibus Autores possint colligi.

§ XLIX.

Minimè vereor, quin eorum accedam opinioni, Vandalis id tribuentium. Si enim explicamus Witekindum, Ditmarum, Cranzium, atque in Chron. Misn. Albinum, omnes inter se conveniunt; Henricum Aucupem circa seculum decimum magna cum Vandalis habuisse prælia, imò caput eorum Gronam obsedisse, obsessam expugnasse, expugnatam denique solo ferme æquasse, uti antea audivimus; quibus superatis hac in regione doctrinam sanam magno propagasse zelo, ut indies vera creverit religio. Jam igitur novimus, Gronam illam non ultra parasangam à nostro distare Ileburgo, quin imò agrum illum, qui urnas evomuit, in pagi Vandalarum nomine venientis, *Rilschau* / finibus hæere. Quapropter omni dubitatione abjecta, nullis aliis præter hos urnas addicandas censemus, permoti & ea ratione, quod tantæ firmitatis conglutinatione materia cohæreat, ut haud facilè frangi queant, cum tamen ad minimum septem inter hæc, & quod excurrit, secula effluxerint, quo primum terræ fuerint demandatæ; nec credibile videtur, diutius (& uti volunt quidam à Romanorum tempore) sub terra absconditas latuisse, vetustatis alias rubigine absumptas. Dicas, unde autem novimus Vandalos *vepoxavsiæ* fuisse usos. Respondemus: De Germanis nullum residet dubium, id quod testatur Tacitus in Germaniam, & integro cap. 53. l. 1. Cluverius Ant. Germ. de funeratione mortuorum pag. m. 393. cui adjungendus Kirchmannus de Fun. Rom. pag. 12. Nostros autem Vandalos vel Vindalos Germanorum

Ger-

107

Germen esse ex Plinio clarè deduxit allegatus Cluverius lib. 3. c. 48.
de quinque Germanorum generibus, vid. etiam Diss. M. Franck. de
Urn. Fer Sed manum de tabula, ne fortean ulterius inquirendo
Nationali Clarissimo materiam injustè præripiamus.

§. L.

Pedem hic figemus, lectorem rogaturi benevolum, velit hac
qualicumque deductione animum exsatiare avidum, & errorem, si
quis datur, ex imbecillitate ingenii commissum benigne nobis con-
donare. Tu autem, Sancte Deus, domuum ædificator & custos
civitatum indefessus, noli curâ in urbe nostrâ conservanda desiste-
re, sed semper tuo auxilio opitulari eandem! Effunde Spiritum tuum
Sanctissimum in Aaronem sapientiæ, in Mosen justitiæ, inque Israe-
lem omnem veritatis, & benedic omnium manuum labori,
quo ubique Tibi laus dicatur perennis in se-
culorum secula!

DEO SIT HONOR!



IV

C3

Corol-

O Uæso beata tuos, *Ileburgum*, respice
 natos
 Quàm benè Lipfiaco proviruerè solò.
 Filius hic iterum doctus, sua munera
 solvens,

Frentzelius Cathedra conspiciendus adest.
 Quem memorem Matris jam de natalibus ejus,
 Deque solò Patriæ disseruisse iuvat.
 Nemo profectò Tibi sapientum in crimine po-
 net,

Talibus in natis si ambitiosa fores.
 Gratulor ex animo Tibi, sed gratamur & ipsi
 Grandævo Patri, grator & ipse mihi.
 Hunc qui Pegasidas deduxi primus ad undas,
 Fonte Caballino parva labella rigans.
 Produc huic similes, *Ileburgum*, semper Alu-
 mnos,
 Sic erit & nomen non sine laude tuum.

In honorem Dn. Magistri, sui olim
 in terrâ patriâ discipuli, gratu-
 labundus approperavit

M. Gottfried Riedel/Past. Pich.



107

107

h. N. 95, 16^d.

ILLE

Ilel

Condit

Incl

ad

Placi

M. JOH
Ileb.

